

res dicuntur; posteriores quatuor, minores. Maior circulus dicitur is, qui idē centrū cū sphaera obtinet, ipsaq; sphaera in duo hemisphaeria equalia diuidit: Minor vero circulus appellatur ille, qui diuersim centrū a sphaera centro possidet, sphaeramq; in duo segmenta inaequalia partitur. Caterum quilibet circulus sphaerae, siue maior, siue minor, duos dicitur habere polos, circa quos, si moueretur, uniformiter ferretur; Inmo ex polis ipsis omnes circuli in superficie sphaerae describuntur. Est enim polus cuiuslibet circuli sphaerae, punctum illud in conuexa superficie sphaerae, a quo omnes lineae rectae ad circumferentiam circuli ductae sunt equales. Nam cum ex polo circuli circumferentia describatur, necesse est, ut polus equaliter recedat ab omnibus punctis illius circumferentiae.

ÆQUINOCTIALIS circulus in sphaera dicitur ille maior, qui ex mundi polis est descriptus, equaliterq; ab utroq; polo mundi secundum omnes sui partes remouetur.

ZODIACVS circulus est quoq; maior, descriptus ex polis distantibus a mundi polis per quartam partem, & insuper nonagesimā unius quadrantis, qui secat æquinoctialem, secaturq; vicissim ab eodem in duas medietates, oblique tamen, ita ut Zodiacus ad æquinoctialem sit inclinatus, unaq; medietas vergat ad septentrionem, altera ad austrum. Punctum autem mediū utriusq; medietatis recedat ab æquinoctiali tantum, quantum poli Zodiaci a polis mundi recedunt; quæ quidem distantia continet 23. gradus, & semis. Appellamus gradū particulam unam cuiusuis circuli diuisi in 60. partes: In tot enim partes quemlibet circulum partiuntur Astronomi. Ceterū in Zodiaco consideratur 4. puncta præcipua, quorū duo dicuntur æquinoctialia, duo vero Solstitia. æquinoctialia sunt illa, quibus Zodiacus æquinoctialem secat: Solstitia sunt duo illa, quæ maxime diximus ab æquinoctiali remoueri. Rursus punctorū æquinoctialium illud, quod polo arctico est ad dexteram, (si nimirum medietas Zodiaci, quæ in septentrionē inclinat, in superiori hemisphaerio constituitur) Vernum dicitur, estq; principium Arietis: Alterum vero, quod eidem polo est ad sinistram, (eundem situm habente sphaera) Autumnale vocatur, estq; principium Libræ. Solstitia quoq; punctorum illud, quod ab æquinoctiali in septentrionem recedit, estiuum appellatur, estq; principium Cancrī: Reliquum vero, quod ad austrum secedit, nuncupatur hybernum, estq; principium Capricorni. Atq; hæc quatuor puncta diligenter sunt notanda, ut